



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XXII. De Kalendis Ianuarii, & cathedra sancti Petri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

IOANNES TURONENSE II. IVSTINVS IVNIOR IMP.
P. III. CHARIBERTVS R. FRANC. 609

ANNO CHRISTI 567. statuerunt, in omnibus roboramus: quia præcep-
to Domini, Apostolo prædicante, docemur, ut
a nobis filii nostri seueritate potius corrigan-
tur, quam ignaua tepiditate ad perpetranda grauiora
laxentur, vbi ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis?* Omni-
no auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qua-
lis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis ha-
beat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habui-
stis, ut tollatur de medio vestrum qui opus hoc fecerit.
Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam
iudicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomi-
ne Domini nostri Iesu Christi. Ergo quia dixit Apo-
stolus; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi;* non nos præsumptiosos existimet homo, si sequen-
tes Apostolum, quemquam ab ecclesia segregamus,
donec reminiscatur, & reuertatur ad vitam, quam
per Dominum Iesum Christum & baptismum
meruit habere perpetuam, ne iam peccato facien-
te, ac diabolo persuadente, perdat & baptismi gra-
tiam & vitam æternam.

XXII.

Enimuero quoniam cognouimus nonnullos in-
ueniri sequipadas erroris antiqui, qui Kalendas Ianuarii colunt, cum Janus homo gentilis fuerit: rex
quidem, sed deus esse non potuit. *Quisquis ergo v-*
num Deum Patrem regnantem cum Filio & Spiritu
sancto credit, certe hic non potest integer Christianus dici, qui aliqua de gentilitate custodit. Sunt e-
tiam qui in festiuitate cathedræ domni Petri apostoli
'cibos mortuis offerūt, & post Missas redeuntes ad

Concil. Tom. 12.

Hhh

domos proprias , ad gentilium reuertuntur errores ,
& post corpus Domini , sacratas dæmoni escas acci-
piunt . Contestamur illam solicitudinem tam pa-
stores quam presbyteros gerere , vt quemcumque
in hac fatuitate persistere viderint , vel ad nescio
quas petras , aut arbores , aut ad fontes , designata
loca gentilium , perpetrare quæ ad ecclesiæ ratio-
nem non pertinent , eos ab ecclesia sancta aucto-
ritate repellant , nec participare sancto altario per-
mittant , qui gentilium obseruationes custodiunt .
Quid enim dæmonibus cum Christo commune ,
cum magis sumendo iudicium delicta videatur ad-
dere quam purgare ?

XXIII.

Licet hymnos Ambrosianos habeamus in Cano-
ne ; tamen quoniam reliquorum sunt aliqui , qui
digni sunt forma cantari , volumus libenter ample-
cti eos præterea , quorum auctorum nomina fue-
rint in limine prænotata : quoniam quæ fide consti-
terint , dicendi ratione non obstant .

XXIV.

Illud quoque quamquam priorum Canonum fit
auctoritate præfixum , quod dum inter se sœuiunt
domini nostri , ac malorum hominum stimulo con-
citantur , & alter alterius res rapida cupiditate per-
uadit , ne ista caduca actione , qua inter se aguntur ,
ecclesiastica rura contingere aut contaminare præ-
sumant , inuiolabiliter obseruandum censemus , vt
quicumque tam ecclesiæ quam episcopi res pro-
prias , quæ & ipsæ ecclesiæ noscuntur esse , quas pon-
tifex auctoribus ecclesiæ dignoscitur assignasse , vel

ANNO
CHRISTI
567.